

declaravit, "nulla etiam admittenda nova miracula, nec novas reliquias recipiendas, nisi eodem recognoscente, & approbante Episcopo, qui simul atque de his aliquid compertum habuerit, adhibitis in consilium Theologis & aliis piis viris ea faciat, quae veritati & pietati consentanea judicaverit." In decreto *De Invocatione, veneratione & reliquiis Sanctorum*.

XI. Nova Ecclesia Parochialis erigi nequit, nisi una erigatur nova Parochia. Nec enim esse potest Ecclesia Parochialis sine populo, qui communitatem seu Parochiam constituat.

Cum autem nova Parochia ordinari constitui nequeat, nisi de veteri Parochia, in cujus limitibus nova constituitur, aliquid decedat, jure cautum esse, Episcopum in novam Ecclesiam Parochialem erectionem sine rationabili aliqua causa consentire non posse, uno consensu tradunt Canonistae ad *Cap. 3. De Ecclesiis aedificatis*.

XII. Inter causas legitimas aedificandi novam Ecclesiam Parochialem in primis est illa, quam assignat Pontifex in citato *Cap. 3. & probat Synodus Tridentina sess. 21. Cap. 4. De Reformat.* nimirum si in aliquibus Ecclesiis Parochialibus, vel Baptistmalibus "ob locorum distantiam, sive difficultatem Parochiani sine magno incommodo ad percipiendam Sacramenta, & Divina Officia audienda accedere non possunt," uti loquitur Synodus.

Hinc habemus legitimam causam construendi novam Ecclesiam Parochialem esse, si sine magno incommodo Parochiani ad Ecclesiam Parochialem accedere nequeant.

XIII. Ita que non exigitur, quod revera sit magna longinquitas, aut viarum discrimen; sed solam requiritur talis, ut propter Parochianis sine magno incommodo non pateat accessus ad majorem Ecclesiam; uti notat Fagnanus ad *Cap. 3. De Ecclesiis aedificandis num. 18.* & ita tenere Dominos de Rota testatur.

XIV. "Quanta autem debeat esse hujusmodi distantia, seu Parochiae amplitudo, ad hoc ut Parochiani dicantur non posse sine magno incommodo ad Ecclesiam accedere, re, cum jure definitum non sit, iudicis arbitrio relinquuntur." Fagnanus ibidem.

Ultra inde refertur, quod similiter justa sit erectionis causa si inter populum alicujus villae & Parochialem torrentis, vel flumen aliquid intercedat, quae nec pontem habeant, & nec vado transiri possint, praesertim hyemali tempore cum pluviae inundant, juxta textum hic. *Quae* causa sufficiens est etiam sine distantia loci. Undecumque enim proveniat magna difficultas percipiendi Sacramenta, dicitur subesse justa causa erigendi novam parochiam ut ex dictis patet. Ideoque Concilium Tridentinum *cap. 4. sess. 21.* alternative loquitur ibi, locorum distantiam sive difficultatem, ita ut propterea alterutrum sufficiat.

XV. Haec tenet Fagnanus *numero 19.* qui bene advertit *numero 17.* non requiri ad probandum, sine magno incommodo Parochianos non posse ad Ecclesiam Parochialem accedere, "ut Parochiani aliquando decederint sine Sacramentis, sed satis esse ad validitatem erectionis; ut imminet periculum, ne sic decedant, neque (ait) hujusmodi eventus est expectandus, quin potius praeveniendum ne contingat, cum satis sit occurrere in tempore, quam post exitum vindicare, seu post vulneratam causam remedium querere. Et ita censuit S. Congregatio.

XVI. Cum autem per novae Ecclesiae Parochialis constructionem facile jura Rectoris, aliorumque ministrorum aut Patronorum veteris Ecclesiae Parochialis laedi possent; ad constructionem Episcopus procedere non potest, nisi Rector Ecclesiae, nec non aliis interesse habentibus citatis & auditis; uti monet Fagnanus loco citato *num. 30.* asseritque, resolvisse S. Congregationem, erectionem Ecclesiae Parochialis factam non citato Rectore veteris Ecclesiae nullatenus existere.

XVII. Si Rector citatus & auditus in novae Parochiae erectione consentire renuat, & tamen erectio illa necessaria

judicetur, poterit tunc etiam illo invito procedi, ut uno consensu resolvent Canonistae ob verba finalia dicti *Cap. 3.* "Si vero Persona Matricis Ecclesiae virum idoneum praesentare distulerit, vel opus illud voluerit impedire, tu nihilominus facias idem opus ad perfectionem deduci, & virtum honestum, appellationis cessante diffugio, insitue, re non omittas.

Quidam ex antiquis Canonistis post Glossam ad dictum *Cap. 3.* crediderunt, Papam quidem ex plenitudine potestatis id facere posse invito Rectore Matricis Ecclesiae, non autem Episcopum; at Synodus Tridentina declaravit, quod Episcopi novas Parochias etiam, invitatis Rectoribus, juxta formam Constitutionis Alexandri III. quae incipit, *Ad adiuvandam* (in citato *Cap. 3.*) constituere possint.

XVIII. Addit deinde Synodus; "Illis autem Sacerdotibus, qui de novo erunt Ecclesiis noviter erectis praesentibus, di, competens assignetur portio arbitrio Episcopi ex fructibus ad Ecclesiam matricem quomodocumque pertinentibus; & si necesse fuerit, compellere possit populum, ea subministrare, quae sufficiant ad vitam dictorum sacerdotum sustentandam: quaecumque reservatio generali, vel speciali, vel affectione, super dictis Ecclesiis, non obstantibus.

XIX. Cum hic in Belgio de promulgatione Concilii Tridentini tractaretur, ipsaque Decreta Reformationis ad Concilia Regia missa essent, haec observatio facta legitur ad haec praesens Decretum: "Datur Episcopis facultas novas Parochias erigendi, & si necesse fuerit, compellendi populum ea subministrare quae sufficiant ad vitam sacerdotum sustentandam. Communis nota est, compulsionem illam populi & exactionem fieri non posse, sine auctoritate Regia; neque hanc Jurisdictionem Ecclesiasticis iudicibus unquam competuisse.

XX. Sane in erectione novae Parochiae difficulter hic perfingent Episcopi, nisi auctoritas Regia accedat; idque non tantum ob difficultatem, quae circa dotem Ecclesiae noviter construendae, oriri nata est; sed vel maxime propter oppositiones Rectoris, Ministrorum, Aduerſariorum, Patronorum, aliorumque, quorum jura facile quoad aliqua saltem per novae Parochiae erectionem laeduntur: aut tales ut minus difficultates & quaestiones moveantur, quibus terminandis sola auctoritas Ecclesiastica non sufficeret. Unde nec in Belgio videmus ulla Parochias erigi, nisi auctoritas Regia interveniat.

XXI. Interim Episcopi, quibus primario cura animarum suarum respective Diocesium incumbit, si videant, eam esse Parochiarum latitudinem, eamque distantiam, ut salus animarum novam Parochiam exigit, omnibus modis alaborare tenentur, ut ea erigatur; ut ita necessitati populi satisfiat.

Unde cuidam Episcopo dubitanti, num propter juramentum de non alienandis rebus suae Ecclesiae, posset novas Ecclesias erigere; eo quod haec erectio videretur fieri cum aliquo praesidio suae Ecclesiae, respondit Caesarius III. in *Cap. fin. De Ecclesiis aedificandis*: "Fraternitati tuae mandamus, quatenus illius juramenti occasione nullatenus praetermittas, quin populo indigenti super Basilicarum institutione studeas salubriter providere.

XXII. Si Episcopus videat, hic & nunc novam Parochiam erigi non posse, saltem eo casu ad aliud remedium a Tridentino suggestum recurrendum erit: ut nimirum cogat Rectores vel alios ad quos pertinet, sibi tot sacerdotes ad hoc munus adungere, quot sufficiant ad Sacramenta exhibenda, & cultum Divinum celebrandum.

XXIII. Quod si casus occurrat, ut ea sit quorundam Parochianorum habitatio, ut sine magno incommodo ad Ecclesiam Parochialem accedere nequeant; atque periculum sit ob nimiam a Parochiali Ecclesia distantiam, aut viarum aliorumque difficultatem, ne sine Sacramentis moriantur, erigenda ut minus erit Capella; atque in ea constitutus Sacerdos, qui illis Parochianis possit Sacramenta, alia-

aliaque ad animarum salutem necessaria impendere; uti in eo casu occurrente probavit S. Congregatio apud Fagnanum loco citato *num. 20.* & hodie non raro practicitur.

XXIV. Sed tamen si causa legitima erigendi novam Parochiam occurrat, non tam facile ob aliquorum interesse ad jam suggestum remedium confugiendum; tam quod non omnia in Capellis fiant, "ad quae Parochiani tenentur, ex jure communi & Tridentino; quam quod magna sit distantia inter Pastorem, cujus sunt oves propriae, ut instituitur in novis Parochiis; & Sacerdotes, qui in Capellis nec omnia praestant, nec tamquam suis. Plenius ergo satisficit magno incommodo per erectionem novae Parochiae, quam per Capellam; eaque in casu magni incommodi mens esse videtur Concilii Tridentini." *Resp. 1. De Aedificand. Eccles.*

### CAPUT III. De Consecratione Ecclesiarum, ejusque Ritibus.

1. *Dedicatio Templorum antiquitus nota.*
2. *Materialis Templi dedicatio spiritualium Fidelium dedicationem designat.*
3. *Ad dedicationem Templi conveniebant vicini Episcopi.*
4. *Occasione dedicationis subinde congregata Synodi.*
5. *Magna in veneratione habita olim Ecclesiarum dedicatio.*
6. *Populus & Clerus ad dedicationem conveniens orationi aliisque pietatis officiis intendebat.*
7. *Quae essent Episcoporum & Sacerdotum functiones.*
8. *Proces adhiberi in dedicatione Ecclesiae convenit.*
9. *Proces qualiter recitanda; & quomodo ad eas populus excitandus.*
10. *Dedicatio seu consecratio Ecclesiae est Ordinis Episcopalis.*
11. *Non omnium Ecclesiarum idem dedicationis ritus.*
12. *Item pridem in dedicatione Ecclesiae requisita fuerunt Sanctorum Reliquiae.*
13. *Unde originem habuerit ritus adhibendi Reliquias?*
14. *Ritus praesens Reliquias ex praescripto Ritualis Romani.*
15. *Quomodo hic ritus inceperit; & in quo primitus ab haereticis diversus.*
16. *De asperſione aquae lustralis; de trino circumſu Templi consecrandi.*
17. *Origo hujus ceremoniae.*
18. *Ritus hodierni non omnes eodem tempore adhibiti.*
19. *Ceremonia consecrationis Templi materialis adhibita ad similitudinem ceremoniarum consecrationis Templi spiritualis per Baptismum.*
20. *Hinc parietum inunctio, usus salis; & alphabeti descriptio.*
21. *In dedicatione novae Basilicae jam pridem convivium institutum; quae hodie in die anniversaria institui solent.*
22. *An olim dies anniversariae dedicationis celebrata fuerit.*
23. *Ante annum millesimum celebrata videtur in Gallia, & hodie ubique solemniter celebratur.*
24. *Convivorum & comessationum excessus hac die committi solitus.*
25. *Synodi voluerunt ut in omnibus Ecclesiis ejusdem Diocesis anniversariae dedicationis dies eodem die celebrarentur.*
26. *Id ipsum Principes decreverunt.*
27. *An conveniat, ut Pastores vicini intersint solemnitatee dedicationis; & an idcirco omittendum solenne officium in Parochia.*

Ecclesia aedificata ejus celebranda est dedicatio; idque jam pridem receptum fuisse clara probant apud antiquiores Scriptores testimonia. Ut enim ea quae de Ecclesiarum consecratione & dedicatione referuntur ex epistola Felicis IV. nec non aliis Primorum Pontificum Decretalibus apud Gratianum *Dist. 1. De Consecrat.* tamquam parum authentica omittamus, celebratae dedicationis Ecclesiae testimonium luculentum exhibet Eusebius *lib. 10. hist. cap. 3.* "Post haec votivum, nobis ac desideratum spectaculum praebetur *dedicationis*, num, scilicet festivitas per singulas urbes, & oratoriorum, recens structorum *consecrationes*.

Meminit quoque hujus festivitatis sub idem tempus Sanctus Athanasius in *Apologia 2.* ad Constantium.

II. Subsequentes Patres variis locis dedicationis Ecclesiarum meminere; extantque eorum sermones, quos in ipsa templorum dedicatione habuerunt; atque inter alios, plures sermones ea de re S. Augustini, qui sunt 336. 337. 338. in nova editione. In horum primo sic incipit "Celebritas hujus Congregationis *dedicatio* est domus orationis. Domus ergo nostrarum orationum ista est, domus Dei nos ipsi. Si domus Dei nos ipsi, nos in hoc seculo aedificamus, ut in fine seculi deducamur." Deinde ostendit, quomodo ea, quae in aedificatione templi materialis fieri quotidie videmus, spiritualiter in aedificatione templi, quod est Ecclesia Christi, fiant. "Credendo enim (ait) quasi de silvis & montibus ligna & lapides praeciduntur: cum vero catechizantur, baptizantur, formantur, tamquam inter manus fabricorum & opificum dolantur, collineantur, complanantur; veruntamen Domum Dei non faciunt, nisi quando caritate compaginantur." Quod postremum late ibidem prosequitur. Totus hic sermo in partes divisus legitur in Breviario Romano tertia, quarta & sexta die infra octavam dedicationis Ecclesiae. Sermo autem, qui legitur sub nomine S. Augustini in ipsa die Dedicationis, est S. Caesarii Arelatenſis non Augustini, uti notarunt eruditi Opera Augustini Revisores, qui illum in appendicem rejecerunt; conficitque ibidem *Sermonem 329.*

III. Ad majorem dedicationis solemnitatem vicinos quoque Episcopos evocari solitos, testis est Augustinus *Epist. 269.* ad Nobilium Episcopum, quae se excusat, quod ad dedicationem novae fabricae venire non possit. "Tanta est (ait) solemnitas, ad quam me affectus tuae Fraternalitatis invitavit, ut corpusculum meum ad vos traheret voluntas, nisi teneret infirmitas." Deinde quibusdam de hiemis rigore, suaeque senectute interpositis concludit: "Salutationem debitam reddo meritis tuis: Salutem vero meam commendo precibus tuis, poscens & ipse a Domino, ut dedicationem tantae fabricae pacis prosperitas prosequatur. Et Gaudentius Brixienſis Augustino coaetaneus, in tractatu in dedicatione Basilicae SS. 40. Martyrum scribit: "Convenunt igitur sanctissimi Antistites & Apostolici Viri ad persolvendum beatissimis Patribus & Praeceptoribus suis, is debita devotionis obsequium, ut ubertate plenissima benedictionum spiritualium ditarentur.

IV. Quin & occasione dedicationis Ecclesiae convenientes Episcopi Synodos frequenter celebrasse notum est: atque ea occasione famosa Antiochena Synodus anno 341. celebrata fuit.

Cum enim templum Antiochenum, quod praesertim magnificentia *Dominicum Aureum* appellari meruit, sub Constantino M. inchoatum, tandem sub ejus filio Constantino esset absolutum, hujus celebritatis praetensa occasione litteris Imperatoris evocati fuere Episcopi totius Orientis, etiam ex Traecia & Palaestina; conveneruntque ad diem designatum 90. Episcopi, ut auctor est Athanasius, qui ea occasione Synodum celebrarunt, eodem Athanasio teste dicente: *Antiochia novam Synodum per causam* ENCENIORUM coegerunt. Propterea haec Synodus communiter etiam apud Veteres dicta fuit, Synodus in *Encanis*.

